

## CODEX 4. olim signatus 1/2.

*Foliorum 213, 380 : 280 mm., columnis binis sub b. Frowino abbate per manus Richenes monachi. exaratus saeculo XII., quod probant versus sequentes fol. 1' :*

Ista tibi dona, Genitrix et virgo patrona  
Frowinum dantem serves apud Omnitonantem.

*et folio 213 :*

Littora nauta videns fit victum post mare ridens,  
Sic quia perscripsit hunc librum Richene risit ;  
Quare dentur ei, peto, pax lux et speciei.

*Praefationes in Paralip. (fol. 2. et 3.) et in Job (fol. 116.) atque integros libros Esdrae (fol. 197—213.) alia manus saeculi XII. adiecit. Codex diligenter rubricatus atque figuris et litteris initialibus decoratus est.*

*Biblia latina vulgatae versionis cum prologis. Tomus II., in quo exstant: Paralipomenon \*I. et II. \*Proverbia. \*Ecclesiastes. Canticum canticorum. \*Liber sapientiae. \*Ecclesiasticus cum prologo et oratione Salomonis. Job. Tobias. Judith. Esther. Machabaeorum I. et II. Esdrae I. et II.*

*Asteriscus indicat 'Capitula', quae nonnullos libros praecedunt. Prologi et praefationes occurrunt sequentes :*

- Fol. 2.* Praefatio sancti Jeronimi presb. in libro Paralipomenon. (*rubr.*) Quomodo Graecorum historias . . . *P. L. 29, 401—404.*
- Fol. 3.* Item alia eiusdem ad Cromatium episc. super librum Paralipomenon. (*rubr.*) Si septuaginta interpretum . . . *P. L. 28, 1323—1328.*
- Fol. 46'.* Prologus s. Jeronimi presb. in Parabolas Salomonis. (*rubr.*) Jungat epistola quos . . . *P. L. 28, 1241—1244.*
- Fol. 114'.* Prologus s. Jeronimi presb. in librum Job. (*rubr.*) Cogor per singulos scripturae . . . *P. L. 28, 1079—1084.*
- Fol. 115'.* Item alius prologus. (*rubr.*) In terra quidem habitasse Job. . . . *P. L. 113, 747.*
- Eodem folio.* Item prologus. (*rubr.*) Si aut fiscellam iunco texerem . . . *P. L. 29, 61 et 62.*
- Fol. 116.* Job exemplar patientiae — spes mea in sinu meo. *S. Hieronymus in ep. ad Paulinum. P. L. 22, 545.*
- Eodem folio.* Quis auctor fuerit libri b. Job. (*rubr.*) Inter multos saepe quaeritur — quae hominis sunt. *S. Greg. Moral. in Job. P. L. 75, 515—518.*

- Fol. 134.* Prologus s. Jeronimi presb. in librum Tobiae. (*rubr.*) Mirari non desino . . . *P. L. 29, 23—26.*
- Fol. 141.* Prologus s. Jeronimi presb. in librum Judith. (*rubr.*) Apud Hebraeos liber Judith . . . *P. L. 29, 37—40.*
- Fol. 150.* Prologus s. Jeronimi presb. in librum Hester. (*rubr.*) Librum Hester variis translatoribus . . . *P. L. 28, 1433—1436. cum add. nota a. col. 1435.*
- Fol. 196.* Praefatio s. Jeronimi presb. in Esdram. (*rubr.*) Utrum difficilius sit facere . . . *P. L. 28, 1401—1406.*

## CODEX 5. olim signatus 1/3.

*Foliorum 199. 380 : 280 mm., columnis binis exaratus saeculo XII. sub b. Frowino abbate per Richenen monachum; folio enim primo effigie repraesentantur FROWINUS ABBAS eiusque amanuensis RICHENE. his versibus adiectis:*

Cur aut unde minus habet a mercede Frowinus?  
 Cum scriptor scripsi, manus autem paruit ipsi.  
 Dum bene praecedat hic, dum catus alter obedit  
 Merces amborum florebit in arce polorum.

*Hic codex rubricatus atque figuris et initialibus litteris exornatus constabat olim 204 foliis, sed duo in capite et ad calcem tria folia, quibus documenta saec. XII.—XIV. inscripta sunt, ante centum fere annos excidi et in cista D. archivi nostri deponi placuit, quorum ultimum (sign. D. 126) exhibet versus sequentes:*

Quod vult dicendo prudens homo vel faciendo  
 Aptos aptorum fines videt officiorum,  
 Richene magnorum scribens haec scripta virorum  
 Institit hoc fine. Bene quod vivat sine fine  
 Rerum fons finis hic ei quod sit dato finis.

*Biblia latina vulgatae versionis cum prologis. Tomus III., in quo hic ordo librorum: Epistolae canonicae. Apocalypsis. Actus apostolorum. Epistolae b. Pauli. Quatuor evangelia.*

*Epistolam ad Hebraeos sequitur fol. 98. Epistola ad Laodicenses, cui adposita est nota: Haec epistola non est Pauli.*